

CAPUT IX.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

§ 171.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS.

Quidquid impedit quominus Matrimonium aut licite, aut valide contrahi possit, impedimentum matrimonii vocatur. Idcirco impedimenta matrimonii alia *impedientia*, alia *dirimentia* dicuntur, quorum prima illicitum tantum, postrema et illicitum et invalidum reddunt matrimonium. Satis ampla est haec tractatio et cognitu valde necessaria. Primum autem de impedimentis impedientibus, deinde de impedimentis dirimentibus fusiori calamo agemus.

Jam vero impedimenta impedientia olim quidem plura fuerunt, nunc autem quatuor tantum obtinent his versiculis comprehensa, videlicet :

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri

§ 172.

DE TEMPORE SACRATO.

Sacratum seu feriatum *tempus* illud est, quo juxta praesentem Ecclesiae disciplinam non quidem matrimonium, sed ejus solemnitas ab Ecclesia prohibetur. « Ab adventu D. N. J. C. usque ad diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschae inclusive antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus praecipit, » ita Trident. sess. 24 cap. 10 de Reform. Matr. Veteres diebus pluribus, hoc est a Septuagesima usque

ad Pascha, a feria secunda Rogationum usque ad Octavam Pentecostes, et duabus vel tribus hebdomadibus ante festum S. Joannis Baptistae tum a nuptiarum celebratione, tum ab ipso conjugii usu abstinebant, cap. 4 de Feriis, et caus. 33 q. 4, can. 1 et seqq. Nunc itaque ex praefato Tridentini decreto solis diebus in eo statutis, non quidem celebratio matrimonii per verba de praesenti, neque ejus etiam consummatio, sed tantum nuptiarum solemnitas vetita est. Nuptiarum benedictio, sollemnis sponsae in sponsi domum transductio, sollemniora convivia ac tripudia, aliaque hujusmodi sunt quae matrimonii sollemnitatem constituunt ac vetantur. Benedictio autem nuptiarum in eo sita est, ut Parochus postquam sponso in matrimonium legitime conjunxit, sacrum votivum pro sponso et sponsa faciat, aut si ratione occurrentis Dominici, aut alterius festi diei sacrum illud votivum fieri nequeat, Missam celebret de die Dominico seu festo, eique orationem pro sponso et sponsa, aliasque pro benedictione sponsi et sponsae preces superaddat. Itaque nuptiarum benedictio fieri nequit toto feriato tempore : non vetatur tamen Parochus Missam currentis diei, omissis praedictis orationibus et precibus, celebrare, atque etiam sponso, si id exposcant, Eucharistica dape reficere. At invaluit consuetudo ferme communis, ut Parochus feriato tempore nuptiis non assistat, nisi primum ab Episcopo veniam impetraverit.

§ 173.

DE PROHIBITIONE ECCLESIAE.

Alterum impedimentum est Ecclesiae *vetitum*, quando videlicet ob justam causam vel Romanus Pontifex, vel Episcopus interdicit ne matrimonium contrahatur. Hoc tamen est inter Pontificis et Episcopi interdictum, quod Pontifex interdicto suo non solum prohibere potest ne inter peculiare personas matrimonium contrahatur, verumetiam decernere, ut

contra suam prohibitionem inita nuptiae nullae sint : Episcopus sicut impedimenta dirimentia statuere nequit, ita neque decreto irritante uti potest, aut si utatur, defectu potestatis nihil efficit. Ex quibus consequitur : 1. Interdictum Pontificium sine decreto irritante illicitas nuptias reddere, non invalidas; at si decreto irritante munitum sit (quod raro admodum fieri solet) tum illicitas, tum invalidas esse nuptias quae contrahantur. 2. Interdictum Episcopi quavis clausula, etiam decreto irritante munitum, nuptias illicitas quidem, non tamen irritas facere. Quocirca apud Sanchez de Matrim. lib. 3 tit. 21 n. 12 S. Congregatio Concilii generatim respondit « valere matrimonium contractum coram Parocho, cui interdictum est ab Episcopo ne interveniat. »

§ 174.

DE SPONSABILIBUS DE FUTURO.

Tertio *Sponsalia de futuro* cum uno inita impediunt, quominus licite cum altero nuptiae iniri possint, nisi vel mutuo consensu vel per Judicis sententiam soluta fuerint. Nam qui prioribus integris sponsalibus alteri nuberet, datam fidem in re gravi frangeret, quod illicitum et injustum; matrimonium tamen ratum esset. Caeterum de Sponsalibus jam diximus satis superque.

§ 175.

DE VOTO SIMPLICI.

Quartum denique impedimentum est *votum simplex* castitatis, vel nunquam nubendi, aut religionem ingrediendi, aut Sacrum Ordinem suscipiendi; nam jure naturali et divino votum observandum est. At hujusmodi vota non dirimunt nuptias, non enim corporis traditionem, sed solam promissio-

nem complectuntur : « Post votum simplex adhuc remanet homo dominus sui corporis, et ideo potest ipsum dare alteri scilicet uxori » ait S. Thomas in 4 dist. 38 quaest. 1 a 2. Fieri autem potest, ut aliquis consummato matrimonio religionem profiteatur, aut Sacros Ordines suscipiat, dum alter conjux libere assentitur, et continentiae votum in saeculo emittit. Quamvis enim si alter conjugum velit in monasterium sese recipere, ibique solemniter profiteri, aut si velit sacris Ordinibus initiari, id ei permitti non debeat, nisi alter quoque conjux libere consentiat, atque habitum religiosum assumat, et professionem regularem emittat, uti in primis perspicuum est ex Decretal. CUM SIS, et CONJUGATUS de conversione conjugat.; attamen si alter conjugum abnuat solemnem professionem nuncupare, dummodo hic propectae aetatis sit et ab omni incontinentiae suspicione immunis, indulgetur eisdem, ut in saeculo manere possit, emisso tamen simplici voto castitatis. Quaeritur itaque, an post mortem ejus qui religionem professus fuit, aut Sacros Ordines suscepit, alter valide matrimonium inire queat? Nonnulli Doctores generatim affirmarunt, ejusmodi matrimonia irrita esse, quod in eo casu quo unus conjugum religionem profitetur, votum alterius conjugis in saeculo manentis per quamdam communicationem veluti solemnizetur, atque adeo nuptias dirimat. In casu autem quo vir ad Sacros Ordines conscendit, superstes mulier non vi voti, sed ex can. SERIATIM dist. 32 vetatur alteri nubere, et si quod ab ipsa matrimonium attentetur, eodem Canone omnino irritum pronuntiatur; quin etiam aliquibus visus est in utroque casu Canon SERIATIM sibi locum vindicare; per enim ratio inesse videtur utrique speciei, reverentiae videlicet tum religiosae professioni, tum Sacris Ordinibus exhibendae. Hanc disputationem de utraque facti specie late disserit Sanchez de Matrim. lib. 7 disp. 32 et 40. Vide etiam Benedictum XIV de Syn. Dioecesis. lib. 12 cap. 12 n. 11 et seq.

§ 176.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

Impedimenta dirimentia quatuordecim sunt, quae memoriae juvandae causa his versiculis continentur :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, et duplicis desit praesentia testis,
Raptaeque sit mulier, nec partu reddita tutae;
Haec facienda vetant, connubia facta retractant.

Haec singula impedimenta non eadem auctoritate constituta sunt; aliqua enim a jure naturae, alia a jure positivo, et eo quidem vel divino, vel humano acceptam originem referunt, quod suis locis indicabimus. At vero impedimenta dirimentia nuptias irritas non faciunt, nisi easdem antecedant vel comitentur; si quod enim impedimentum jam rite contracto matrimonio superveniat, non illud dirimit quia matrimonium insolubile est. De singulis juxta propositum ordinem versiculorum dicendum est. Sit igitur :

§ 177.

DE ERRORE.

Quadruplex in matrimonio contrahendo error adesse potest, scilicet personae, fortunae, conditionis, et qualitatis. In can. QUOD AUTEM caus. 32 q. 1 id explicatur his verbis : « Error personae est, quando hic putatur esse Virgilius, et ipse est Plato. Error fortunae, quando hic esse putatur dives, qui pauper est, vel e converso. Error conditionis, quando putatur esse liber qui servus est. Error tandem qualitatis, quando putatur bonus qui malus est. » Jam vero error personae, quae

matrimonii praecipuum ac substantiale objectum est, matrimonium nullum reddit; siquidem ad nuptias efficiendas mutus contrahentium consensus eo jure postulatur. Etenim qui errant, non consentiunt in eam determinatam personam cum qua contrahunt, sed in aliam prorsus diversam quam mente concipiunt, veluti si Maevius cum Caia contrahere putans, per errorem aliam ducat, profecto in hanc posteriorem consensus omnino defuit. Ubi igitur consensus non adest, ne adesse quidem matrimonium potest, etsi errore perseverante corporum conjunctio sequuta fuerit; non enim concubitus, sed consensus nuptias facit. Nihil autem interest, an hujusmodi error invincibilis sit, an vincibilis, an crassus et fatuus, an ab ipso contrahente procedat, an ab alio qui ipsum decipiat; in his enim variis casibus semper exploratum est, eum qui circa personam errat, sive erret ex propria oscitantia aut culpa, sive alterius fraude, revera non consentire in eam personam quae sibi proponitur et praesens est. Atque haec omnia non solum in errore antecedenti, dum scilicet nuptias contrahens nullo modo eas initurus esset, si rem perspectam habuisset, verum etiam ex sententia probabiliori in errore concomitanti locum habent, dum videlicet aliquis matrimonium contrahit cum persona quae alia est ab ea quam ex errore putabat; adhuc tamen animo affectus est ut cum eadem contraheret, imo etiam libentius, quam cum ea cui se cunjungi per errorem arbitrat. Error enim hujusmodi concomitans non includit actualem et positivum consensum in personam quae offertur: quod satis est ut matrimonium nullum sit ex defectu consensus. Neque ad rem nostram momenti aliquid habet, quod contrahens detecto etiam errore matrimonium libenter contraxisset; semper enim constat eo tempore, quo contraxit, consensum defuisse: siquidem non voluntas quae esset, sed voluntas quae actu est, seu consensus de praesenti nuptias facit.

Quod autem spectat errorem fortunae et qualitatis, regula generalis est, per hujusmodi errorem matrimonium non di-

rimi; per eum siquidem non tollitur consensus in personam quae objectum est matrimonii. Qui enim sic contrahunt, revera in eam certam et determinatam personam consentiunt, et tantum in eo falluntur quod ex. gr. pulchram aut divitem putent quae deformis aut pauper est: « Utpote si quis emerit agrum vel vineam quam putabat esse uberrimam, quamvis iste erraret in qualitate rerum rem minus fertilem emendo, non potest tamen venditionem rescindere, » quemadmodum in saepius citato Canone animadvertitur. Et sane si error qualitatis et fortunae nuptias irritas faceret, omnia propemodum matrimonia magno prolis et Reipublicae detrimento aut irrita essent, aut dubia, dum vel omnia vel pauca admodum ea sint, in quibus aliquis error circa qualitatem et fortunam non contingat. Quae quidem est communis Doctorum sententia, etsi error qualitatis aut fortunae ex alterius dolo causam dederit matrimonio, quia consensus in personam vere adfuit; non enim in persona ipsa, sed tantum in qualitatibus personae erratum est. Igitur uterque error tum solum nuptias dirimit, quum qualitas in qua erratur per modum conditionis apposita est, quia deficiente conditione consensus deficit, ut saepius dictum est, aut quando contrahens ei qualitati ita consensum suum alligavit, ut si haec absit, animum contrahendi non habeat, ex. gr. sicui volenti primogenitam et haeredem Regni, et non aliam ducere, obtrudatur secundogenita; tunc enim error qualitatis redundat in errorem personae ut Scholastici loquuntur. Quaerunt autem Doctores, quandonam error qualitatis aut fortunae in personam redundet? Sanchez lib. 7 de Matrim. disp. 18 n. 15 et seqq. binas proponit regulas easque explicat, quae ferme sunt: 1. Si per qualitatem in qua erratur, certa et individua persona prius contrahenti ignota designetur, error personae est. 2. Si qualitas in qua erratur, individuum personam non determinet, error solius qualitatis est. In eumdem sensum, sed forte clarius loquitur P. Illsung tract. 6 dist. 9 n. 68, juxta quem « error qualitatis redundat

in personam, si qualitas sit individualis determinatio ipsius personae, ut si velles contrahere cum primogenita et tibi sistetur secundogenita. Si autem hanc, quacum contrahis, tantum putas esse primogenitam, et tua intentio non fertur in illam quatenus est primogenita, nondum fuit error in personam. » Vel dic cum Gobat tract. 11 n. 113. « Error qualitatis redundat in personam, quando qualitas est finis matrimonii, et matrimonium est unicum medium ad finem illum, seu qualitatem assequendam. » Denique nonnulli Doctores putant ex peculiaribus circumstantiis rerum et personarum dijudicandum esse, an qualitas, in qua erratum est, ejusmodi sit ut in ea error personae includatur; quod quidem iudicium gravissimum est, et periculosae plenum aleae, nec facile praesumendum contrahentes extrinsecis qualitatibus consensum suum alligasse.

§ 178.

DE CONDITIONE.

Hactenus de errore personae, qualitatis, et fortunae dictum est; relinquatur ut de errore conditionis dicamus. Igitur conditionis nomine status servitutis intelligitur. Quadruplex est autem servorum genus: alii sunt domestici seu famuli, qui operas suas domino locant pacta mercede; alii adscriptitii, et qui ex his nascuntur originarii, qui glebae seu certis excolendis agris perpetuo addicti sunt, sibi que duntaxat necessaria reservare possunt; alii servi poenae, qui ex Judicis sententia ad poenam, ex. gr. ad triremes, vel exilium perpetuum damnati sunt; alii demum servi stricte sumpti, et proprie *mancipia* dicti, quorum dominus plene potitur, eosque ceu res vendere, locare potest, aut in iis, quae sibi magis libuerint, operibus occupare. De servis domesticis et glebae addictis nihil dubitationis est quin matrimonia, si qua cum eisdem ineanter, ignorata etiam servili eorumdem conditione, valida sint;

quantum enim ad personam liberi sunt, et dominis serviunt quantum ad facultates seu bona, et quasdam obligationes quibus addicti sunt. Neque de servis poenae quidquam Ecclesia statuit. Itaque de solis mancipiis proprie dictis disserendum est. Romanorum jure matrimonia servorum nec honorabile nomen conjugii, nec jura matrimonii seu ejus effectus civiles consequiebantur, sed mera contubernia vocabantur. Quas leges olim Ecclesia sequuta est, dum conjugia servorum in scio vel invito domino pro nullis habuit, quemadmodum didicimus ex Ep. 92 S. Leonis ad Rusticum Episcopum Narbonensem cap. 4 et 5, tum ex Ep. S. Basilii ad Amphilochium can. 42, in qua docet conjugia inter servos sine consensu dominorum esse fornicationes, tum denique ex can. Concilii Cabilonensis II, relato a Gratiano caus. 29 q. 2, in quo servorum conjugia tum demum probantur ubi per voluntatem dominorum inita fuerint. At jure novo Sacri Canonis aliter constituerunt. Nam in cap. Dignum de Conjug. servor. sancitum est: « sicut in Christo Jesu neque liber, neque servus est a Sacramentis removendus, ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi, etsi contradicentibus dominis et invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen et consueta servitia non minus debent propriis dominis exhibere. » Et Innocentius III cap. AD NOSTRAM eod. decernit: « Mandamus quatenus si constiterit, quod miles ignoranter contraxerit cum ancilla, ita quod postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eandem, contrahendi cum alia liberam ipsi concedas auctoritate Apostolica facultatem. » Ex quibus Canonibus colligitur: 1. valida esse conjugia quae inter servilis conditionis personas, licet invitis dominis, mutuo consensu contrahantur. Colligitur 2. matrimonium inter servos tum nullum et irritum esse, quando liber contrahit cum servo quem per errorem esse liberum putabat. Atque ex hoc errore conditionis, seu ex servitute alterius ignorata oritur impedimentum dirimens conditionis. Quare duo

copulative postulatur ut conditio matrimonium dirimat; nimirum postulatur ut ex contrahentibus alter liber sit et alter servus, et deinde ut liber ignoret servitute alterius, sed eum ingenuum et liberum plane credat. Hinc si liber nuptias cum muliere contrahat quam scit esse ancillam, vel viceversa, tunc et licitum et validum erit matrimonium. « Si foemina ingenua, » inquit Zacharias Papa cit. cap. PROPOSUIT, « servum acceperit, sciens quod servus esset, habeat eum. »

Doctores inquirunt, quo jure error conditionis servilis matrimonium dirimat? Scotus aliique arbitrantur, utroque jure naturali et positivo dirimi, ea de causa quia ob nimiam contractus inaequalitatem persona libera non censetur sufficienter in servam consentire. Error quidem conditionis servilis est error qualitatis, non personae; at hujusmodi error versatur circa ea quae ad substantiam matrimonii pertinent: conditio enim servilis bono Sacramenti, nimirum individuali societati et cohabitationi conjugum in primis obest. Servus quippe debet domino suo obtemperare, ibique habitare ubi dominus ipse constituerit. Ob eandem causam conditio servilis bono fidei conjugalis adversatur, quia conjuges omnino nequeunt conjugali debito facere satis. Denique maxime repugnat bono prolis, quia hanc nec commode alere possunt, nec recte instituere; non alere quidem quod servus omnia acquirit domino suo; non recte instituere quia proles in potestate domini est, si mater serva sit; partus quippe sequitur ventrem: si vero servus pater sit, libera mater, tum proles quidem ingenua erit, sed patris, utpote in servitute constituti, disciplina et doctrina carebit. At S. Thomas, S. Bonaventura, alique plurimi docent, ob errorem conditionis servilis matrimonium dirimi jure tantum ecclesiastico. Namque tales personae ineundo matrimonio habiles naturaliter sunt; itemque ex parte eorundem contrahentium non deest consensus in personam, quae duo ex jure naturae satis sunt, ut nuptiae valeant. Praeterea servitus ignorata absolute non re-

pugnat essentiae et naturae matrimonii; quanquam enim, ut inquit S. Thomas « servitus contrarietur matrimonio quantum ad actum quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non potest libere exsequi, dum nimirum occupatur servitiis domini sui, et quantum ad bonum prolis, quae peioris conditionis efficitur ex conditionis parentis, usum tamen et perceptionem omnium bonorum matrimonii non tollit omnino; prolis enim ejusque educationis a conjuge libero cura gerenda erit. Illud autem praecipuum accedit, quod si servitus, dum ingenuo contrahenti comperta est, naturali jure non dirimit nuptias, uti omnium sententia est, neque easdem nuptias dirimet dum ignorata est: servitus quippe sive ignorata, sive cognita bonis et naturae matrimonii aequo jure non repugnat.

Verum hisce Doctorum sententiis in medio relictis de Matrimoniis inter servum et liberam, aut vicissim initis secundum Canones dijudicandum est.

§ 179.

DE VOTO.

Alexander III cap. MEMINIBUS Qui Cler. vel vov., et Bonifacius VIII cap. unico de voto, et vot. redempt. in 6 nos edocent, discrimen esse faciendum inter solemne et simplex votum castitatis, dum constituunt votum simplex castitatis nuptias non rescindere, sed tantum impedire; solemne autem et impedire, et nullum reddere matrimonium quod contrahatur. Votum simplex est nuda promissio facta Deo sive publice, sive secreto; solemne vero est promissio quae et Ecclesiae fit, et ejus auctoritate probatur et accipitur. Quare illud est votum solemne quod vel in Sacri Ordinis susceptione, vel in solemni religiosa professione nuncupatur. « Praesentis duximus declarandum oraculo sanctionis, » ait

Bonifacius VIII cit. cap., « illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis aut per professionem expressam vel tacitam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. »

Haeretici posteriorum temporum docuerunt, solemne votum castitatis nuptias contrahendas non impedire, non contractas dirimere, contra quos Synodus Trident. sess. 24 can. 9 de Refor. Matr. definivit: « Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit. » Verum haec duo vota Sacri Ordinis et Religiosae professionis non aequa vi dirimunt; nam votum solemne, seu lex coelibatus, Ordini Sacro adnexum dirimit quidem matrimonium, quod post Ordinis susceptionem ineatur, sed non illud etiam quod ante Ordinis susceptionem contractum est, licet ratum duntaxat sit, non consummatum. « Licet votum solemnizatum, » ait Joannes XXII Extravag. ANTIQUAE de Voto, « per Sacri Ordinis susceptionem quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, atque ad dirimendum si post contractum fuerit, secundum statuta Canonum sit efficax reputandum; ad solvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec jure divino, nec per Sacros Canones reperiatur hoc statutum, invalidum est censendum. » Contra vero solemne religiosae professionis votum dirimit matrimonium etiam contractum, modo ratum duntaxat sit, non consummatum, quemadmodum eadem Synodus Tridentina definivit sess. 24 can. 6 de Matrim.: « Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum per solemnem religiosam professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. »

Inquiritur hoc loco a Doctoribus de ratione differentiae et